



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manvale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando dolore aliquo cruciabimur. Exercitium 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](#)

pere solatum, quandoquidem scele-  
ribus nostris iure meritoque commi-  
ruimus, ut etiam ipsi lapides contra  
nos se erogant, nobisque in carnifex-  
es commutentur.

*Petitio.*

**O**bstabimur Dominum, ut nos  
participes efficiat, veræ delectati-  
onis quæ in ipso solo existit, & in per-  
fecta voluntatis eius adimpletione:  
neque permittat cor nostrum aliqua  
terrena voluptate pasci, ne vel ad mo-  
mentum à sua maiestate abstrahatur.

*Oblatio.*

**O**fferemus nos Domino non tan-  
tum ad huius delectationis quam  
modò à creatura percipimus: sed et-  
iam ad cuiusvis alterius quam à crea-  
turis percipere possemus, pro illius a-  
morc priuationem.

*Quando dolore aliquo crucia-  
bimur.*

## Exercitium 2.

*Iob 6. Hac mihi sit consolatio, ut affligens  
me dolore non parcat, nec contradicam  
sermonibus sancti.*

bb 3

Psal. 93.

MANVALE.

*Psalm. 93.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae latificauerunt animam meam.

*Isa. 53.* Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit.

*Apoc. 21.* Abstergat Deus omnem lachrymā ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, erit ultra.

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus. Quanto acerbitores iij dolores extiterint, quos Christus Saluator noster in passione sua pertulit: Nec non illi, quos damnati in inferno, sine spe liberationis patiuntur.

*Gratiarum actio.*

**G**ratias, habebimus Domino, qui nobis occasionem aliquid pro amore ipsius sustinendi offert, ut hac ratione passioni suæ conformes fieri pœnitentiamque; pro criminibus perpetratis, agere valeamus.

*Confusio.*

**E**rubescemus: agnoscentes, nos commeritos esse ea perpeti ac fer-

re

re tormenta, quibus impij in inferno  
crucientur & excarnificantur, idq;  
ob sceleram nostra, quibus vnicam causam  
omnium suppliciorum quæ Christus  
Redeptor noster in sua passione per-  
pessus fuit, adscribenda est.

*Petitio.*

**P**ostulabimus à Domino, crucis  
suæ amorem animis nostris instil-  
lari, qui nos spontè faciet complecti,  
quamuis acerbitatem & molestiam,  
præ desiderio ut Christo crucifixo cō-  
formes existamus.

*Oblatio.*

**O**fferemus nos Domino, ad præ-  
sentis cruciatus & doloris, quan-  
diu voluerit per passionem vniendo  
eum doloribus illis vehementissimis  
quos Christus in crucis patibulo per-  
pessus est.

*Quando*